



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

Conversio S. Augustini. 5. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

criminarum periret. Vim nimis faciebat Deo (uti Augustinus postea jam renatus loquebatur) cor contritum & humiliatum vidua casta ac sobria, petentisq[ue] ab eo non aurum & argentum, sed salutem animæ filii sui. Cujus illud primum indicium fuit, quod Ambrosio acquiesceret, & destillante ab illius viri ore ambrosiam pasceretur, quem proinde non immiterit ut Angelum Dei Monica diligebat; quando vere idem est boni præceptoris, quod Angeli officium, et si non eadem utrique dignatio impenditur. Compos tandem facta voti sui, & Augustino in tantas succrescente spes, negavit longiore sibi vitâ opus esse, desiderium cæli ad Ostia Tiberina filio professa, cum diceret: *Fili quantum ad me attinet, nullâ re jam delector in hâc vitâ: immorari cupiebam, ut te Catholicum viderem, &c.* Neque multò post terris excessit, hoc unum precata à filiis, ut ad Domini altare sui meminissent. Nos illam suspiriis repetimus normam & exemplar matrum omnium; nam hodie pleraque non per euntibus filiis, sed ad Deum abeuntibus lacrimantur, eosque diligendo occidunt. *Ex operib. S. August.*

*Primus gradus pietatis est iste, ut quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumelias: sed nec vultu ladenda est pietas parentum; mereatur cætitatis subire supplicium, qui parentum vultus torvo vultu despicerit.* S. Hieronym.

## CONVERSIO S. AUGUSTINI. 5. Maii.

**H**oc die Monicæ lacrimæ AVGVSTINVM orbis secundum pepererunt; nam hoc Manichæorum erroribus se demum expedivit. Ad id plurimum, ut dixeramus, momenti mater attulit, quæ

filium pessum euntem ex Africâ in Italiam usque  
secuta lacrimis , pro ejus salute tantum non exo-  
culavit sese. Monstravit certè parentibus , quam  
parum sit filium mundo peperisse , nisi in spem  
cæli educetur. Jam duo illi ex Imperatoris aula,  
qui lectâ Magni Antonii vitâ , nuntium mundo  
remiserant , tantum apud Avgvstinvm potue-  
runt, ut exclamaret : *Quid hoc? quid audisti? surgunt  
in docti & calum rapiunt: & nos cum doctrinis nostris  
volutamur in carne & sanguine?* Sub hæc luctanti  
cum animo suo in conspectum se castitas dedit,  
ingenti omnium ordinum ac ætatum coronâ cin-  
cta, digitoque nunc senes aut viros , nunc pueros  
aut puellas signans, & tu, ajebat, *non poteris quod iſi  
aut iſta?* mox è cælo etiam vox istiusmodi allapa-  
tolle, lege. Sustulit ille, legitque : *non in comeditioni-  
bus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non  
in contentione & amulatione: sed induimini JESVM  
CHRISTVM.* Legit inquam hæc, & ex Manichæo  
Catholicus, ex Rhetore Ecclesiæ Doctor, ex mun-  
di amatore summo summus contemptor evasit.  
At nos qui eadem & audimus & legimus, moras  
moris nectimus , dicitque è cælo nobis ipse Di-  
vus , quæ sibi olim dicebat : *An quia præcesserunt,  
pudet sequi? & non pudet nec saltē sequi?* Ex ipius  
*D. August. Confess.*

*Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, Cras veniam;  
sed jam exigis; nemo differt, nemo excusat. Redemptio  
anima promittitur, & nemo festinat.* S.Amb. in sem.  
de Jejun. & Eleemos.

S. ANGELUS CARMELITA. 5. Maii.

**R**Osam è spinis habe , ANGELVM , inquam, è  
parente utroque Judæo Jerosolymis natum.  
Sed